



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1740. usque ad annum 1742

**Fleury, Claude**

**Augustæ Vindelicorum, 1787**

**VD18 90119649**

§. 27. Giberti Borromæi Cardinalis decessus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67882](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67882)

## §. XXVII.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1740.*Giberti Borromei Cardinalis decessus.*

Paucis post Daviæ obitum diebus idem æternitatis iter ingressus est Gibertus Borromeus patria Mediolanensis. Hic ex tam illustri & Sanctis fœcundo genere oriebatur, ut Borromeum nasci, & Borromæ sanctitatis hæredem existere pene pro eodem reputaretur: præterquam enim, quod hæc familia Carolum & Fridericum Cardinales, duo magna sanctitatis luminaria recenseat, Gibertus quoque Parentes habuit Renatum & Juliam Aresiam, ambos ad virtutes suos in Filios transplantandas natos. Ab his fausto sidere die duodecima Septembris anni supra millesimum sexcentissimi septuagesimi primi progenitus Gibertus, pietatis literarumque studio in patria egregiam navabat operam. Exacta pubertate, cum sese Dei ac Ecclesiæ servitio dicare intenderet, Theologiæ præprimis sacrorumque Canonum præceptis animum adjecit. His probe instructus Romam venit, ubi ab Innocentio XII. inter Romanæ Curia Præsules, & Protonotarios Apostolicos receptus fuit. Variis dein inferioris Ordinis Magistratibus defunctus, sub Pontificatu Clementis

T 5

XI.

Sæc. XVIII. XI. primo Patriarcha Antiochenus, postea Novariensis Episcopus ac demum Pontificii cubiculi Præfatus renuntiabatur; quo in munere sibi gradum altiora stravit; quippe ad Romanam Purpuram paulopost selectus fuit, ubi singulare est, quod Pontifex non in Borromææ Domus merita antiquitatemque deprædicarit, sed præcipue ipsius Giberti obsequia tam sibi quam Sedi Apostolicæ præstita pluribus enumeraret, inter alia neo-electum Cardinalem commendans, quod *tam morum integritate quam aliis sacro Præsede dignitate & virtutibus insignes suæ gentis Cardinales ( præcipue S. Carolum Borromeum) æmulari potest.* Hac dignitate insignis mox Roma ad suam Ecclesiam vigil Pastor reversus, non nisi ad S. Comitium post Clementis obitum in Urbem venit, electus autem Innocentio XIII. nulla mora sua sedem rediit: interfuit quoque conclavibus pro electione Benedicti XIII. & Clementis XII., in quibus, cum non modo locuples, sed & doctissimus pietatis ac justitiæ studiosissimus esset, ac præterea cunctis Purpuratis, Principibus & populo Romano acceptissimam maximam supremi Apostolatus spei habebat: ast Gibertus hanc dignitatem non semel promeruisse contentus, sed ardentius concupiverat, quam sese

tum suo gregi impendere, quem etiam Sæc. XVIII.  
 immoto pastoralis vigilantiae studio ac A. C. 1740.  
 uberrimo animarum proventu pavit us-  
 que ad supremum obitus sui diem, qui  
 erat vigesimus secundus Mensis Janua-  
 rii: sepultus est Novariae in sacello S.  
 Caroli Borromei, cui sanguine, ac san-  
 ctitatis imitatione junctus erat. Reli-  
 quit insignem librorum collectionem,  
 quorum magna pars (uti testamento  
 caverat) in Ambrosianam Bibliotheca-  
 cam translata fuit.

## §. XXVIII.

*Petri Ottoboni Cardinalis fata.*

**T**ertius ex Purpuratis hoc anno dena-  
 tis erat Petrus Ottobonus, cujus  
 majores ex Euboea Insula ortum tra-  
 hentes præclara obsequia diu reipubli-  
 cæ præstiterant, quocirca anno Christi  
 millesimo sexcentesimo quadragesimo  
 sexto Veneto Nobilitatis albo inscribi  
 meruere. Natus erat Petrus Parenti-  
 bus Antonio & Maria Moretti die se-  
 cunda Julii anno prioris sexagesimo sep-  
 timo. Puer adhuc Romam evocatus  
 est a Petro Vito Ottobono Cardinale  
 Patruo suo, qui, cum in Nepote suo  
 summam ingenii aciem, ac spiritus ge-  
 nerosos, & ad magna quævis incitatos  
 deprehenderet, eundem in disciplinam  
 præ-